

## CYCADEÆ.

### *Cycas Cairnsiana.*

Glaucescens, petiolis ad basim usque dentatis, *foliolis linearibus margine recurvis utrinque pallidis* basim versus cum rachi parce tomentellis, *rachibus femineis dicarpis* longiusculis in laminam rhombec-lanceolarem sensim longe acuminatam sursum breviter paucidentatam quater quinquiesve longiorem quam latam utrinque glabram terminantibus, fructibus pruinosis glabris.

Ad montes Newcastle-Range; Armit.

Mensura caudicis mihi ignota. Basis petioli paulisper pubescens. Folia inferiora ad dentes breves acutissimos reducta, cetera subito elongata; plurima inter 5 et 7" longa; nulla ultra 2" lata. Flores masculi nondum noti. Pedunculus fœminus in exemplari unico allato 5"-longus, circiter 4" latus, semiteres, fere glaber; lamina bipollicaris. Fructus laminulæ diagonali ovali cicatricem formanti partim tomentosæ insidentes, ovato-globosi, 1½" longi; integumentum exterius haud succulentum; interius variegato-fuscum, nitens. Nucleus carnosus, ad hilum foveola impressus, extus undique lividus; cavitates juxta hilum paucae, ellipsoideæ, circiter lineam longæ.

Hæc *Cycas* bene distincta videtur tum a *Cycade Normanbyana*, tum a *C. media*; ab illa digergit angustia brevitate pallore et distinctiore recurvatione longitudinali foliolorum, elongatione pedunculorum fructigerorum sicut glabritie et parciore dentatione laminæ terminalis; a *Cycade media* characteribus foliolorum jam notatis, pedunculis forsitan semper dicarpis, forma et glabritie laminæ terminantis, nec non ab *ambabus* pericarpio quantum vidi exsueco et petiolis non inferne edentatis.

Nomen specificum pro dicatione selectum inter plantas monumentum manebit administrationis viri excellentis W. W. Cairns, coloniae Queensland dictæ digni Gubernatoris, ordinis a sanctis Michæli et Georgio socii, Marchionis de Normanby successoris.

Habeo folia cujusdam *Cycadis* prope Escape-Cliff ab Hulls lecta et alia ad Castlereagh's River a B. Gulliver obtenta, iis cum petiolis *C. Cairnsianæ* non dissimilia, non tamen eximie pallida.